DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

PLEURITIDE.

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

PLEURITIDE:

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex AUCTORITATE

Amplissimi SENATUS ACADEMICI,
et nobilissimae FACULTATIS MEDICAE decreto;

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,
ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

CLEMENS CROOKE, ab Insula S^TI CHRISTOPHORI.

Ad diem 6 Idus Junii, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:
Apud HAMILTON, BALFOUR, et NEILL.
M,DCC,LIII.

VIRO OPTIMO,

OB AMICITIAM MORUMQUE FACILITATEM

AEQUE CONSPICUO,

DANIELI CUNINGHAME, ARMIGERO,

AVUNCULO SUO CHARISSIMO,

ET PATRIS QUIDEM VICE FUNGENTI:

NEC NON,

JOANNI CUMING,

MEDICINAE APUD IRVINENSES DOCTORI;

OB ARTIS APOLLINEAE PERITIAM EXIMIAM

CONSPICUO;

DE SE PRAECIPUE, OB ANIMUM QUASI PATERNUM,

OPTIME MERITO:

TENTAMEN HOCCE INAUGURALE,

PIETATEM GRATUMQUE ANIMUM,

UT TESTARETUR,

D. D. D.

CLEMENS CROOKE.

DISSERTATIO MEDICA,

DE

PLEURITIDE.

PLEURITIS eſt membranae coſtas interne ſuccingentis inflammatio, cum febre acuta, continua, pulſu duro, dolore acuto, punctum quaſi laceſſente, in inſpiratione valde aucta, in expiratione, vel animae retentione, leniori, mitiori pariter, ubi reſpiratio, immoto thorace, maxime ope abdominis fit, et ultimo difficultate ſpirandi.

PLEURITIS, a πλευρον *latus*, unde *morbus lateralis* etiam vocatur, vel a πλευρα, membrana coſtas interne ſuccingente, adjecta terminatione *itis*, (qua, morbo inflammatorio partem laborare, ſemper intelligitur) nomen habet.

OMNEM ſexum et aetatem, praecipue vero adultos, temperamento ſanguineo praeditos, fibra tenſa et rigida donatos, nimis exercitatos, acidum raro eructantes, et in morbos inflammatorios vergentes, vino et liquoribus ſpirituoſis indulgentes, plethoricos, et quibus uſitatae et debitae evacuationes caſu aliquo ſupprimuntur, aut quos ſubitaneae nimis, et inconſtantes, frigidi ultra modum et calidi coeli viciſſitudines, vernali praeſertim tempore, afficiunt, primario adoritur pleuritis: tumque vocatur *Idiopathica*.

Quae vero ab alio praecedenti inflammatorio morbo per accidens tantum ortum habet, ſive a medicamentis purgantibus perperam in uſum adhibitis, ſive a frigore ſuſcepto, ſive denique a praepoſtero medicamentorum calidiorum, in quarundam febrium initio, quod quandoque fieri ſolet, uſu, ad extorquendas ſcilicet per vim ſudores, materia febrilis cruda adhuc et inconcocta in pleuram conjiciatur: ſymptomatica pleuritis appellatur.

Quando autem ipſa membrana coſtas interne ſuccingens doloris eſt ſedes, aut pars illa muſculorum intercoſtalium internorum, vera; ſi autem in muſculis intercoſtalibus aut partibus exterioribus haereat morbi materia, ſpuria tantum cenſenda eſt. Notari dignum eſt inſuper, veram pleuritidem ſputis ſymptomaticis materiae alicujus viſcidae, ſubflavae, ſanguine ſtriatae, aliquando comitari; quo caſu pleuritis humida dicitur: ſi vero nulla talia ſputa prodeant, aut ſaltem materiae tenuis parum per anacatharſin educitur, pleuritis ſicca audit.

Morbus lateralis ſedem ſuam in partibus thoracicis viſcera continentibus tenet; nulla eſt pars interni thoracis vel externi quam non aggreditur: tota ergo pleura, totumque mediaſtinum, hinc anterior, poſterior, dextra, ſiniſtra, ſuperior, inferior, exterior, profundior ejus pars aeque obſidetur hoc malo; ſed inprimis latera.

Incipit hic morbus cum frigore, horrore, debilitate, laſſitudine, febre; procedit cum calore ſenſim in aeſtum excreſcente, ſiti, proſtrato appetitu omni: poſt aliquot a prima invaſione horas, ſerius ocyus, accedit dolor lateris

ad

ad coftas punctorius, et lancinans; collum verfus, humerum, aut claviculam extendens; latus finiftrum faepius quam dextrum excrucians; nunc ad dorfum, faepe ad mammam et pectoris anteriora, non raro etiam ad coftas nothas et praecordia progreditur. Refpiratio valde citata, laboriofa et laefa fit; frequens tuflicula vexat; ob quam, et fenfum fummum doloris, refpirationem, quantum poteft, cohibet aeger; hinc minus manifefta percipitur violenta, peracuta, omni hora vigens febris. Adfunt praeterea pulfus tenfus, celer, parvus; frigore autem in calorem et aeftum febrilem tendente, incitatur pulfus, et oppreffus, durus, digito refiftens evadit, qui pleuritidis fymptoma pene pathognomicum habetur. Tum cruor emiffus, pleno faltu, ex vena late aperta, pelvi exceptus, frigefcens, format albam, duram, craffam, rigidam pellem. Incipiente morbo, urina plerumque tenuis, parum hypoftatica, et coloris pallidi redditur; increfcente autem, magis rubicunda, fpumofa atque graveolens confpicitur; vel et flammea, fubnigra, admodum graveolens, et quandoque tenuiffima, limpida, aquofa, fi febris maxime exacerbatur. Tuffis crucians, initio ficca, qua parum aut nihil per fputum rejicitur; procedente morbo faepe humida cum fputo primo tenui, cruento, crudo et pauco; procedente praecipue vero ad crifin et declinationem morbo, copiofum, concoctum cum multo levamine excernitur. Durante morbi incremento, febris et alia fyptomata ingravefcunt. Alvus nunc ftipata nimis, nunc praeter modum dejectionibus liquidis foluta: et fi diarrhoea fu-

perveniat

perveniat, ſputum reprimit; ſpirandi difficultatem infert; febrem adauget: et niſi opportuna methodo tempeſtive tollatur, delirium et alia funeſta ſymptomata, ac mortem ipſam invocat. In genere, quo partes plures affectae ſimul, quo impetus circulantis liquidi violentior, aut major malignitas ipſius morbi principis, eo ſymptomata plura et pejora inveniuntur.

In pleuritide ſpuria, dolor lateris ad tactum augetur, decubitus in latus dolens difficilis, tuſſis ſicca, dolorem tamen, ſi valida ſit, exacerbans; juncta ſimul eſt febris, cum pulſu ſubduro, depreſſo et frequenti. Pleuritis vera a ſpuria diſcriminatur; imprimis, quod in illa ſpirandi difficultas major, febris magis acuta, et adſint ſputa ſymptomatica; decubitus vero in latus affectum facilis, in ſanum ſemper difficilis.

Cum inter pleuritidem et peripneumoniam tanta ſit affinitas, ut eaſdem plane cauſas agnoſcere videantur, plurimaque ſymptomata habeant communia, operae pretium erit, ad commoda praxeos, criteria aliqua proponere, quibus morbus unus ab altero, in initio ſaltem, facile diſcerni poſſit. In pleuritide dolor eſt punctorius, acutus, lacerans; ſed e contra in peripneumonia, propter minorem pulmonis ſenſilitatem, dolor gravis, ponderoſus, quaſi obtuſus et parvus ſentitur. Porro in pleuritide, et in omni morbo inflammatorio, uti recte dicit Galenus, pulſus durus, funiculi inſtar, apparet: ſola autem peripneumonia excipitur, ubi mollis, exilis, inaequalis, et quandoque undoſus eſt; tanto autem magis, quo morbus pejor evadit.

dit. Denique in peripneumonia reſpiratio plerumque difficilior eſt, calida, erecta, parva, tuſſiculoſa.

In quibuſdam, ſcorbuto, et affectibus nervoſi generis obnoxiis, nonnunquam accidit, humorem acrem et dolorificum in pleuram aut muſculos intercoſtales deſcendere, ibique defixum cruciatus acerrimos inferre; quae tamen affectio a pleuritide diſcriminatur, quatenus ea febre ac ſiti vacat, pulſus uſque moderatus et laudabilis perſtat, non raro appetitus imo et vires conſtant; porro dolor haud diu fixus eſt, aut uni limitatur loco, ſed ſenſim huc illuc in partes vicinas repit.

A paraphrenitide etiam dignoſcitur: in hac enim ſtomachi repletio cum nauſea et vomitu adeſt. Atque quoties alvum aeger deponit, aut urinam reddit, dolor immaniter augetur; ſpiratio pariter longe ſublimior eſt; abdomine enim tantum non quieſcente, ſolo fere thorace peragitur.

Hujus morbi cauſa proxima ſemper eſt tanta ſanguinis in arteriis minimis accumulatio, ut dolorem, febrem, et alia conſueta inflammationis ſigna producat, uti plane apparet a morbi hiſtoria et decurſu, et cadaverum inde defunctorum inciſionibus.

Vasorum autem obſtructio et liquidi accumulatio fit, vel ſanguinis vel vaſorum vitio; ſanguinis, quoties is vel quantitate, vel qualitate peccat: ſi enim tanta ejus adfuerit copia, ut vaſa quaedam nimis extendat, vicina comprimit; ſi autem nimis craſſus aut viſcoſus fuerit,

moleculae adactae in vaſorum anguſtias tranſire non poterint ſine obſtructione.

Vasorum vitio producetur obſtructio, ob omni cauſa, qua arctiora et anguſtiora redduntur, quae multiplex eſſe poterit; e. g. contractio nimia fibrarum, aut vis externa. Denique ab errore loci idem effectus producetur, quando globi ſanguinis in dilatata orificia vaſorum lateralium, ſeroſorum, aut lymphaticorum pelluntur, et in conniventibus anguſtiis haerent.

Inflammationis cauſae remotae, ut pene innumerae, hic non recenſentur; juvat eas tantum enarrare, quae morbum hunc ad partes laterales praecipue excitant.

1mo, In his locis ſanguinis impetus, caeteris paribus, ſemper major eſt, quam in aliis corporis partibus: docet hoc facilior ſudoris ex ambitu pectoris eruptio; nam continuâ muſculorum intercoſtalium actione venae vicinae citius deplentur, hinc arteriae, his venis reſpondentes, facilius ſe in venas depletas evacuant: minuitur ergo reſiſtantia ſanguini in has arterias fluxuro, adeoque majore impetu et copia huc derivatur. Accedit, quod muſculi contracti, ſanguini aditum renuentes, per ramos liberos ab eodem trunco derivatos majore copia pellunt. Quum jam a febre augetur totius ſanguinis velocitas, hic loci mirifice certe acceleratur ejus impetus: ſed, eodem etiam tempore, (praecipue vero in frigore) circa cor dextrum et pulmones aggeritur ſanguis, impeditur vena azygos, quo minus liberalius ſeſe in cavam exoneret; hinc in ramulis ejus per loca intercoſtalia diſperſis ſta-

gnabit

gnabit fere ſanguis, atque optima obſtructioni naſcitur occaſio.

2do, Arteriae intercoſtales rigidiores, vel arctiores, ut a morbi praecedentis reliquiis plerumque fiunt, ſive ſint ſchirrhus, callus, ſeu quid ſimile; adeoque quos ſemel aggreſſus fuit, illis ſaepiſſime recurrit, atque tunc a conſuetudine oriri dicitur.

3tio, Si quis, corpore prius excalefacto, cereviſiam, aut aquam pleno hauſtu frigidam repente ingurgitârit, illico lateris vaſa, ad ſpinam, praecipue juxta oeſophagi decurſum, prae caeteris ſeſe contrahunt.

4to, Natura morbi epidemici praedominantis.

A quacunque autem origine pleuritis naſcatur, decurſus ſymptomatum, eventus et methodus medendi non admodum differunt.

Symptomatum quae poſuimus ratio jam reddenda eſt. Quamplurimis jam arteriarum, in laterum alterutro, capillarium obturatis, fluidum cogitur purpureum per vicina vaſa celerius moveri; unde, irritata etiam natura, totis viribus aſſurgente, magis atteri, atque inde attenuari incipit: hinc plus ſpirituum ſecernetur, ſicque plures cordi largientur, quod idcirco fortius ſe contrahet, plus ſanguinis ſemel ejiciet, cujus inde aucta erit velocitas, attritus, fluiditas, ſpirituum copia, et ſic porro; ut eadem plane ratione, momentum, atque hinc calor ejus, uſque in aeſtum increſcet. Acceleratus nunc ſanguis, majori quidem vi in loca obſtructa impinget, non potens vero tranſire, vaſorum latera pro momenti ſui ratio-

ne

ne plus minus diſtendet: quod, cum a nullo fere gradatim ad ſummum augeatur, hinc lateris dolor a miti in acerbiſſimum ſane intenditur. Et quia in minimis vaſis cordi proximis atque parti duriori, ſcil. coſtis adhaerentibus, evenit, fit dolor tam punctorius quam acutiſſimus. Quum vero quaquaverſum tendat inflammatio, ſic nunc ad hanc, nunc ad illam partem ſentitur dolor: cur autem frequentius latus ſiniſtrum infeſtat, fieri poteſt praecipue, quia venae intercoſtales, antequam azygon attingunt, inter aortam et vertebras dorſi decurrunt; propterea arteriae magnae preſſione retardatur refluens ſanguis. Difficilis reſpiratio ſemper neceſſario huic malo adjungitur; quia dum inflammatio vel pleuram vel muſculos intercoſtales occupat, non licet, prae dolore, coſtas elevare, ut, thorace ampliato, animam trahamus; et propterea minus aëris, ſingulis in inſpirationibus, ducitur citius; hinc citata et laeſa etiam erit ſpiratio. Tuſſicula oritur, dum vel peripneumonia ſimul adeſt, vel dum prae ſummo dolore reſpirationem cohibet aeger; hinc enim vaſa ſanguifera pulmonalia, bronchia non ſatis dilatata comprimunt, ita ut ſuperficies eorum contra ſe invicem atterantur. Cur autem dolor adeo in inſpiratione exacerbetur, patebit, ſi conſideremus, quod muſculi intercoſtales in actione ſua tumentes pleuram et celluloſam membranam valide premunt: hinc a coſtis magis hae divelluntur, et ad ſuperficiem pulmonis apprimuntur. Praeterea, ipſi muſculi inflammati, quando contrahuntur, vehementem excitant dolorem, et a ſitu coſtarum continuo

tinuo mutato omnia ibi vaſa ſemper agitantur, horumque fibrae diſtrahuntur. Ob hujus doloris immanitatem aegri prima tuſſiendi molimina coercent, pectus ad debitum ſpatium reſpirationis expandere nolunt, ſed, inflexo corpore, brachiisque ſaepe decuſſatis, ita comprimunt coſtas, ut ſolo diaphragmate reſpirare cogantur; in vaſis interim pulmonalibus ſenſim ſenſimque accumulatus ſanguis, minori copia ad cor ſiniſtrum transfluit; inde peripneumonia oritur valde periculoſa, pulſus eſt fere nullus, ſaltem valde mollis, tollitur fere doloris ſenſus, febris vixque deprehenditur, ſummus tamen adeſt morbus, brevi lethalis futurus. Diagnoſis ergo pleuritidis tunc temporis petenda ab hiſtoria praegreſſa, antequam reſpiratio ſupprimatur. Pulſus durus ſentitur; quoniam ob ſummum dolorem vaſa arterioſa per univerſum corpus conſtrictione quadam ſpaſmodica afficiuntur, unde difficilius per eorum fines tranſmittitur ſanguis; ſanguine enim per fines vaſorum aegre fluente, ejus impetus extrorſum in eorum latera determinabitur. Decubitus in latus ſanum difficilis evadit, quia in pleriſque pulmo pleurae adnatus ſit. Caetera hujus morbi phaenomena non pleuritidi propria ſunt, ſed in omni febre acuta inflammatoria, aeque ac in ea, ſeſe oſtendunt; horum itaque explicationem hic non aggredimur.

Pleuritis in ſanitatem, alium morbum, vel in mortem tranſit. In ſanitatem ope naturae, vel naturae et artis ſimul: ſanatio autem fit, vel per benignam reſolutionem, vel per coctionem, et materiae morbificae ex-

pulſionem, ſeu criſin. Cum itaque maxime optabilis ſit hic morbi exitus, omnis cura in eum ſcopum collineare debet. Prius autem ſigna generalia quaedam proponemus, quibus judicare poſſumus, an expectandus ſit necne.

Notanda itaque erit, 1mo, aegri temperies; an ſcil. parum obeſus ſit, et ſolida non admodum rigida ſint; quo vaſa facilius dilatari poſſunt, motus humorum non vehemens ſit, neque nunquam denſa et compacta fiant fluida. Hinc facile patet, in iis corporibus inflammationes natas non difficulter curari poſſe, ut in viris teneris, feminis et junioribus quotidie obſervatur. 2do, Febris, cujus vehementia aeſtimatur praecipue duratione, cito ſymptomatum incremento, atque excretorum, pulſus et reſpirationis vitiis. 3tio, Sanguis ipſe, qui blandus et non multum incraſſatus eſſe debet. Dignoſci poſſunt hi ſanguinis ſtatus ex vitae anteactae ratione et morbis praecedentibus; ex viſa ſanguinis e vena miſſi conditione, et non praegreſſis tenuioris partis magnis ullis evacuationibus, ſudore ſcil. diarrhoea, &c. Denique 4to, notari meretur cauſa morbi, ſi non ſcil. valde vehemens vel maligna fuerit. Quando omnes vel plures harum conditionum concurrunt, tunc reducto fluore ſtagnantis ſanguinis, ſolvitur inflammatio reſolutione benigna, et ſymptomata laevantur ante quartum diem. In regulari pleuritidis reſolutione, primo ceſſare debet febris, poſtea lateris dolor.

Ex ſignis jam memoratis, haud incertum judicium ferre

ferre possumus, an morbus crisi solvendus sit, necne: solvi autem, atque vi vitae e corpore eliminari docemur 1mo, Quoties haemorrhoides debita copia liquidum aptum ante quartum diem fundunt: 2do, quoties urina copiosa, crassa, hypostatica, stranguriosa, subrubra cum albo sedimento, fluxit cum levamine malorum, ante quartum diem. 3tio, Si alvus flavam biliosam materiem ante quartum diem copiosam cum levamine ejecerit. 4to, Si abscessus ichorosi, purulenti, fistulosi, diu manentes, ante sextum diem incepti, post aures vel ad crura, metastasi materiae morbificae prodierint: tales abscessus futuros esse, docent dolores, rubores, calores, tensiones circa aures vel crura. 5to, Dolor lateris si transit ad humerum, manum, dorsum, cum stupore, gravitate, dolore illarum partium: 6to, si sputum, ex parte liberale, laevans, sine coryza, copiosum, vel ante quartum diem, continuatum, vel a suppressione statim rediens, cum levamine morbi; inde enim nono vel undecimo die salus.

Morbus lateralis, quum vere inflammatorius sit, si nec sanetur resolutione, nec crisi, tunc consuetum inflammationis iter decurrit, inque alios morbos abit, scil. in suppurationem, empyema, schirrhum vel gangraenam

Quando sputum pro ratione non prodit, febris et dolor manent, (non obstante sanguinis missione, et legitima methodo curandi praemissa,) nec alvus multam bilem profudit, nec urina multa cum sedimento multo micta est, absque exitii notis, morbum suppurare credendum est, et exinde futurum abscessum; quem praesentem

ſentem cognoſcimus, ſi, his praegreſſis, corpus vagis concutiatur horripilationibus, poſt quartum diem minuatur dolor, manente tamen reſpirandi difficultate, et tuſſicula ſicca.

Pleuritis itidem vehemens in corpore arido ſtrigoſo in ſchirrhum callumve pleurae exit; quem futurum ſcimus, ſi nec reſolvatur inflammatio, nec intra quatuordecim dies ſigna appareant ſuppurationis, nec denique ſaeviſſima ſymptomata gangraenam minentur; tunc nato callo, reſpiratio difficilis, anheloſa fit, tuſſis frequens, ſicca, dolens urget.

Sputa fuliginoſa, coenoſa, ſtrepitus in pectore multus, vultus moeſtus, oculi caliginoſi, pulſus languidus, exſcreatio ſputi difficilis, et parca, alvi fluxus foetidus et ſymptomaticus, dyſpnoea immanis, et doloroſa pectoris gravitas, gangraenam partes inflammatas cito obſeſſuram, in mortem certo terminandam, praemonſtrant. Actu formatam gangraenam demonſtrant inſuper ſputa ichoroſa, tenuia, cinericea, livida, atra, foetida, doloris ſine cauſa ſublatio, ſudores frigidi.

Ultimo, morbus in mortem exit, quando tam vehementes ejus cauſae ſunt, ut dolor productus, omnem motum thoracis ſupprimens, brevi creet, impedito ſanguinis per pulmones trajectu, peripneumoniam, quam breviſſime lethalem, cujus ſigna ſunt, pulſus parvus, mollis, celer, intermittens; reſpiratio celeris, parva, erecta, genae rubrae; at caput, pectus, et collum aeſtuantia, dum extrema frigent.

Quum

Quum morbus lateralis respirationem, a qua vita immediate pendet, laedat; et si actionis viscerum in thorace contentorum ad vitam conservandam, consideretur necessitas, plane patebit esse morbum, multo periculo stipatum: sed si requiritur prognosis, haec a sequentibus Hipp. traditis deduci potest. Lateris inflammatio omnis, senibus, et foeminis utero gerentibus, perniciosa est, itemque iis quibus secundo jam tertiove recurrit.—Corpora exercitata ac densa citius a pleuriticis morbis pereunt, quam inexercitata.—Quibus in morbo laterali lingua circa initia biliosa est, hi intra septimum judicantur; quibus vero tertio ac quarto die, circa nonum.—At vero biliosi, simul et sanguinei morbi laterales, fere nono die aut undecimo judicantur, et maxime sanescunt.—Quibus autem in morbo laterali initio quidem dolores leves sunt, quinto vero aut sexto die ingravescunt, fere ad duodecimum perveniunt, raroque servantur, sed praecipue septimo ac duodecimo die periculum subeunt. Quod si bis septem evaserint, servantur.—Quod si bulla aliquantulum livescens in lingua appareat initio, qualis excitatur ferro candente in oleum intincto, difficilior fit solutio: et judicatio ad decimum quartum diem deducitur.—Judicatur autem morbus brevissimus septima die, longissimus decima quarta.—Verum enimvero sputum oportet pleuriticis omnibus et peripneumonicis, tum ex facili, tum cito expurgari, ac flavum sputo exacte permixtum.—Pravum est autem et flavum syncerum, et glutinosum, et album atque rotundum, et viride mul-

tum, et ſpumoſum, idem liveſcens et aeruginoſum. At pejus illud, quod ita meracum eſt, ut nigrum appareat. —Pleuriticis autem prodeſt alvum molleſcere, ſputum colorari, ſtrepitus in pectore nullos edi, urinam placide ferri: eorum contraria difficilia ſunt, et ſputum dulceſcere.—Pleuritici, quibus multum in pectore ſputum perſtrepit, unaque facies plena moeroris, et oculus ictericius, atque caliginoſus, moriuntur.—Quibus concutiendo pus editur coenoſum, et foedi odoris, ut plurimum moriuntur.—Quibus apoſtema factum eſt, et ipſa febris ſtatim a ruptione decedit; et concupiſcunt cibos; ipſum vero pus educitur facile, album, nihil olens, leve et equale, nec fervidum, atque tum alvus pauca, et figurata excernit; ii fere confeſtim ſervantur, et e contra.

CURATIO.

RESOLUTIO eſt quidem perfectiſſimus ſanandi modus; quoniam vaſa obſtructa recludit, tumida componit, ſine ulteriore noxa parti illata. In omni ergo morbo inflammatorio, ſaluberrima haec mutatio ſummopere exoptanda eſt; ea autem ut recte promoveatur, praecipue naſci videntur hae indicationes.

1mo, SANGUINIS copiam, et impetum in partem affectam, minuere.

2do, EJUS lentorem et viſciditatem attenuare, diluere.

3tio, MATERIAE morbificae e corpore expulſionem promovere.

4to,

4to, Totius corporis roborationem adjuvare.

Primae indicationi, prae alio quovis remedio, respondet sanguinis missio. Quoties autem, et quanta copia mittenda sit, aut quantum sanguinis dispendium debellando morbo sufficiat, certo definire difficillimum est. Aetas enim, temperamentum, regio, anni tempus, nativa solidorum et fluidorum compages, morbi alii in corpore praedominantes, res non-naturales et harum usus, sexus, vires, morbi ipsius, ac symptomatum magnitudo, et infinita alia sagaci medico hac occasione sedulo pensitanda sunt. Vena quidem a morbi principio, ad quartum vel quintum usque inclusive diem, mane et sero, ad uncias octo, vel decem, secare potest in pleuritide vehementiori, dolore lateris punctorio, vehementi, cruciante tussi, dyspnoea immani, sputo cruento, crudo, difficili, cum pulsu duro, tenso, vel molli, magno, undoso, et celeri saevientibus; si tempus anni praecipue vernum sit, et aeger aetatis florem nondum praetergrediatur. Verum si a phlebotomia saepius repetita, et alia legitima methodo in auxilium vocata, symptomata omnia ante quintum diem mitescunt; pulsus interim laudabilis, anacatharsis copiosa, respiratio facilis, et dolor lateris mitior, vel nulla, appareant; a venaesectione penitus abstinendum, aut haec, pro rei tantum necessitate, et quando symptomata praedicta recrudescant, repetenda est.

Secundae indicationi satisfaciendae, prospiciunt remedia diluentia, attenuantia, resolventia, refrigerantia; classis primae basis est aqua communis; haec tamen

cum

cum avena, amygd. dulc. vel et hordeo perlato five gallico, pro libitu f. a. alterare licebit. Sal vol. c. c. fal. fix. abfinth. tart. cum nitro, fal prunel. polych. fp. minderer. medicamenta attenuantia, refolventia, refrigerantia funt; ut et mel, et fucci horaei omnes: quae calida, humida, magna copia forpta, et ad locum affectum determinata juvant, et pro mutatis phaenomenis varia affumenda funt, femper curando, ut eligantur illa, quae putredini adverfiffima; victus fit tenuis, mollis, refrigerans, antiphlogifticus; omne exficcans, calefaciens, impetum augens, vitandum, ut calor aëris, folis, foci, lecti, victus, medelae.

Ad indicationem quartam attingendam, fedulo obfervandum eft, an natura per aliquam viam materiae morbificae eliminationem tentat; fi itaque 1mo, per evacuationem haemorrhoidum, tunc ille fluxus promovendus eft fomentis molliffimis, laxantibus, ano applicatis, et hirudinum applicatarum fuctu. 2do, Si incipiat materies expelli per vias urinarias, ftatim fomenta fupra dicta renibus, perinaeo, hypogaftrio, apponenda; lenia diuretica, aperientia, danda; clyfmata terebinthinata, vel et aquofa, calida, injiciantur, quae, in inteftinum colon immiffa, quod fuo flexu renibus accumbit, calore fuo vafa renalia relaxant: aër paulo minus calidus curandus; fudor et aliae evacuationes vitandae funt. 3tio Si natura crifin per alvum tentet, fomenta fimilia emollientia toti obvolvenda abdomini; clyfmata laxantia injicienda alvo, victus laxans inftituenda eft;

exhi-

exhibeatur quoque decoct. tamarind. fine ſenna; omnia fort a, purgantia et irritantia vitanda ſunt; tantum requiritur, ut materies a natura ſoluta mobilis ſervetur, et deorſum eliciatur, quo criſis incepta facilius abſolvatur. 4to, Si abſceſſus metaſtatici formantur, tum levi, paulum vinoſo, utendum victu; medicamenta ſint emollientia; et locus ſuctu, laxatione, ita tractandus, ut minus reſiſtat; tandem, quando abſceſſus perfecte formatur, apertura facta, ſuppuratoriis aliquamdiu apertus teneatur. 5to, Si tranſit dolor ad humerum, manum vel dorſum, ſimilia proſunt; et partes, in quas dolor migrat, fovendae mollibus, et ſtimulandae attrahentibus emplaſtris. Denique 6to, ſi natura excretionem per anacatharſin conetur, tunc ſollicitiſſime promoveri debet; utenda animi et corporis requie; aëre tepido, humido; balneo vaporis emollientis ad pulmones; victu tenui, levi; medicamentis expectorantibus, leviter ſtimulantibus; vitanda tum v. ſ. purgatio, ſudoris expulſio, aliave omnia dictam excretionem perturbantia.

Quoad quintam et ultimam indicationem: Si denique ab immodica ſanguinis, et virium, in morbo truculentiori, jactura; praevia humorum acrimonia; enervato, ab inflammationis violentia, et ferocia, ac regimine ad hanc debellandam accommodato, ſpirituum animalium, et ſolidorum tono; aut colliquato humorum perſeverante ſtatu; febris hectica, ut ſaepe fit, una cum inappetentia, languore virium magno, ſudoribus colliquativis, fluxionibus, aut liquidis alvi dejectionibus, accendatur; miſſis in hoc

casu penitus catharticis, vel uno tantum e leniſſimis, ut plurimum, praemiſſo, ad corticis Peruviani, medicamenti omnium, quae hactenus agnovit, aut excogitavit medicorum orbis, in his rerum circumſtantiis efficaciſſimi, uſum feſtinandum eſt. Nec vinum rubrum, *Oporto* dictum, vel et *Gallicum*, hîc boni uſus, utpote quae primas vias corroborant, frictiones, equitationes, vectiones in rheda, &c. quia totum corpus firmant, et digeſtionem promovent, negligi debent. Victus ſit tenuis, levis, nullo acri gaudens, parca quantitate ſimul receptus; potus ſit levis, roborans, uti cyathus vini generoſi, ſupra dicti, bis, vel ter de die.

FINIS.